

Colloquium in Latinum lingua. Lugd. 1585  
Annotatio ad Act. super deo et deo. Lugd. 1590

Requisitum ditionis antiochianae. Lugd. 1590.  
in hunc modum. R. Holm.

Repetitio sana Doctrina Luth. de Cerpo  
na Christi et Coena Domini Preside Doct.  
Jacobo et Andrea Wittemb. 1580.

M. Frederici Petri responsio ad scriptum Bremensium  
adversus Collectores Epologo 1585.

Oratio Georgii Solf. Doct. Heidelberg. quomodo studiosus  
ad cognitionem veritatis perveniat

In Stimmellii Confessione p. Johannem Ceylerum 1588

Jacobi Jun Wolffii hortulus primus. 1582

Johannis Majoris P. parentatio Duci Electori  
Augusto. 1590.

Gernardi Asseburgi Epitaphium Johanni Canono d. 1580.  
ejusdem in Pauli Seidelii nuptias  
ej. in Erasmus Johannem.

ej. in Jacobum Linschadum  
Simonis Menzii Swavitas Vita Conjugalis 1576

Camina Gratulatoria in Jacobo Schönhausen  
Catholico alio Episcopo in Magdeburg p. Andrea

Wernheri de Dyffel in Salzbach 1579

Johannis Sylvii Equari Sermone non unus  
Lugd. 1522

Luc. Baetheiseri loci doctrine praecipui ex Am. 1-4. Rost. 1590.

Liber Joachimi Stederi.

10

EPITHALAMION.

IN QVO POST FAC-  
 CTAM GRATVLATIO-  
 NEM VTRIQVE SPONSORVM  
 REVERENDISSIMO, VIRTUTE, FIDE,  
 candore, & doctrina præstantissimo Viro D. M. LO-  
 HANNI CVNONI diœceseos Soltuedelensis Pastori  
 & Superintendenti dignissimo: & lectissimæ fœminæ  
 CHRISTINAE HARTMANNÆ: inuitat Autor ad  
 nuptias horum Deas illas, quas D. PAVLVS FRV-  
 CTVS FIDEI nominat, sine quibus non solum con-  
 iuuias, sed tota omnino vita nostra nil est nisi bar-  
 baries, & Lapitharum congressus  
 atq; conuictus Centau-  
 rorum.

Autore

M. GERARDO ASSENBVRGO  
 Scholæ Gardelegiensis Rectore.

*Theocritus Idyllio 22.*

ὡς ἀγαθοῖς πολλέες βούλοιντο καὶ πένθεροι εἶναι.

Magdeburgi excudebat Andreas Gehen,  
 Mense Augusto.

Anno M. D. LXXXIII.



AD M. GERARDVM ASSENBVRGVM  
COLLEGAM SVVM SVAVISSIMVM  
Paschasius V Vestphalus.

**M**ente pium Vatem, suauē quoq; munere linguæ  
Cunonem laudas iudicioq; grauem  
Ac tua Cunonis meritos dum cantat honores  
Musa, tuo doctum carmen ab ore fluit.  
Hinc tua, connubij Deus vt pia cepta secundet  
Cunonis clari, vota precesq; facis.  
Vota precesq; facis Domino, quo tempore cuncto  
Absit ERIS lecto, firmet EROSq; torum.  
Sic tua te gratum testantur carmina grata  
Quæ preceptoris nomen ad astra ferunt.  
Hoc decet, vt doctos cantent tua carmina sponfos  
Cultor es Aoniij qui decus atq; chori.



EPITHALAMION R. D.  
M. IOHANNI CVNONI ET  
CHRISTINAE HART-  
MANNAE.

**H**oc mihi virgo refers flauos ornata capillos  
Ex humeris pendet cui fistula pacta cicutis  
Septem, cui nihil est nisi dulcia carmina curæ,  
Et nixeo luteum quæ gestas in pede soccum,  
Et sacra ex lauro consertis ritè corollis

Inter quas hederam lucentem vidimus albam,  
Vatibus & fauorix nobis formosa superbis,  
Ut mediter sponsis gratantia carmina amicis?  
Fecissem quod sponte mea tu numine firmas  
Et soror & mater: de te nam semina surgunt  
Et venit in nostros virtus de numine versus,  
Exemploq; iuuas diuo, certare duobus  
Pluribus aut studio iunctis vt fratribus ausim.  
Hoc (nec enim inficior) desunt in carmine nerui,  
Et fluit exiguus nostro de pectore riuus,  
Ingenij est tenuis mihi copia: quicquid id autem est  
Quod lyra nostra dabit, quod nostra et pleetra sonabunt,  
Hoc volo vt omne tibi nunc seruiat optime CVNO.  
Non solum tauros centum qui mactat ad aras  
Hic superis placuit, placet hostia parua columba.  
Mica salis DOMINO grata est, est grata ministris  
Huius. Nam DOMINI mores turba emula præstat.

**E**ximys virtute viris est maxima turba  
Multorū, qui optent soceri esse, & pignora cara  
Summa cum dare dote velint. Est filia, dicunt,  
Nostra pia, est facie præstans, est moribus æquis,  
Pingit acu, sequitur te casta magistra Mineruam:  
Ipsa colum versat ducens subtilia fila.

Tortilibus phrygium digitis opus ecce pererrat  
Texens diuinos tenui subtegmine textus.  
Intertexta vides raris hæc lina figuris?  
Moribus & forma quæ conciliabit amorem,  
Multorum sibi, si stertas, summa arte procorum.  
Arrigat hic aures, ni Pamphilus, ecce Charinus  
Succedens petet hanc, simili namq; vritur igni.  
Sæpè fores nostras hinc pulsat, lumine signans  
Quam velit in thalamum deduci, coniuge blanda  
Latetur, dulces fructus & carpat amoris.  
Nec mirum doctos magna & virtute valentes  
Si multæ votis toties petière puellæ.  
Nam probitas animiq; decus non stirpe paratur,  
Non emitur precio virtus, sudore paratur.  
Et genus & proauos, & quæ sunt cuncta caduca  
Vix ea nostra putat (prudenter) censor Ulysses:  
Qui tu cunq; cupis cum coniuge viuere sancta,  
Artibus expolias animos, & pectora comple  
Tu studijs: Philtrum non hisce potentius vllum est.  
Rector Adam mundi primus, sua nomina cuiq;  
Distribuens rerum signabat sidera, terras  
Contemplans herbis ponebat nomina, piscis  
Hoc autore suo titulo nunc gaudet & omnis.  
Vocibus & volucrum species distinxit Adamus:  
Tunc demum costam cupit & capit ille resectam.  
Deinde creatoris tibi sit lex sancta voluntas,  
Ut sobolem gignas talem quam Christus adoptet.  
Illicitas vitans flammæ præstato Iosephum.  
Moribus atq; parem ducas docet annulus index,  
Strictior hic digitis non congruit, effluit idem  
Latior. Et tribulos nunquam tibi gignere ficus  
Persuade. Ergo bonis prognatam quærito costam.  
Qui tu cunq; bonam quæris, bonam vt inuenias fit  
Si mores spectes, nec opes, nec munera formæ

Forma

Forma quid est? cutis est roseo depicta colore  
Quem facile vna febris raptat vel ventulus vnus.  
Nec sine consensu patris tibi iunge puellam.  
A DOMINO petito: à DOMINO venit vnica nobis  
Exoptata: dabunt sua munera larga parentes:  
Quam volo, quam peto, quam Votis ardentibus opto  
A summo votisq; petam precibusq; IEHOVAH.  
Est pietas sanctis quæ arridet grata puellis.  
Simplicitatis amor commendat candida corda,  
Siq; his accessit Latia facundia linguæ  
Et quoq; doctarum sanctissima cura sororum  
Quis siue nil dulce est homini nec amabile quicquã,  
Floribus his blandis pulchrè hæc contexta corona  
Conciliat matrem nobis & cum patre natam.

Nunc igitur licet hoc diuina modestia sponse  
Sponse tuus candor tegat & constantia mentis.  
Attamen id de te quoq; suspicer, hic mihi fama  
Nil facit incertæ ridenti murmura famæ.  
Augurium mihi mens sponsi est & iusta voluntas,  
Et sanctum in puro quod regnat pectore flamen,  
Germinat vnde sibi virtutis gloria tanta.  
Ius ciuile pijs quæ fert mandata per orbem  
Admirans sponsus, non his parere recusat,  
Sed colit & laudat, sunt hæc signa optima ciuis  
Gaudentis bonitate sua: Galenica scripta  
In precio summo non dedignatur habere.  
Nam fructus, decus atq; ingens in vtroq; repertū est.  
Attamen ingenio quod conuenientius esset  
Ipse suo studium tractans, euoluere leges  
Non cessat digito descriptas omnipotentis,  
Atq; scholæ Christi sit relligiosus alumnus.  
Hic vbi Leucoreæ piscosus mœnia stringit  
Albis aquis, visit Musarum candida templa,

Et rigat ora tuis spargebas doctæ MELANTHON  
Nectare, quas magis dulcis aquas, seu carmina con-  
seu sacræ enarrans diuina volumina legis. (dens,  
Artibus aut lucem accendens, doctum hæ nitorem,  
Historiam aut repetens virtutum exempla figurans,  
Aut linguam exponens sacram, linguam hæ Pelasgam.  
Inde tibi titulum decernit Musa Magistra  
Vir venerande mihi atq; oculis mihi carior istis.  
Mox ubi se exeruit, tua vis, tuaq; inclyta virtus,  
Ingenij expromis fructus cum diuite vena,  
Atq; docere paras iuuenes, qui castra sequuntur  
Musarum, accendisq; tuos ad laudis honorem  
Exemplo proprio: grauis hinc censura virorum  
Te vocat ad maiora, iubens conscendere sacras  
Suggestus sedes, atq; hinc mandata tonare  
Magna Dei, populoq; exponere maxima Christi  
Facta, operumq; decus, tum visuicantia verba.  
Hic mihi concessum primum est audire CVNONEM  
Exemplo insigni, & docta me voce beantem.  
Scripta TVVM referunt sapiunt tua verba Lutheri,  
Scripta TVVM referunt, sapiunt tua verba Philippum.  
Discipuli os & scripta sonant sapiuntq; magistros.  
Quis mihi tunc sensus fuerit, quæ gaudia mentem  
Tentârint, quoties tacita cum mente reuoluo  
Vox mihi tunc toties iua docta recursat ad aures,  
Ante meos oculos mihiq; obuersatur imago  
Leucorei templi, templi quoq; Præsulis huius,  
Inde tuo populi multum pendentis ab ore.  
Quin quoq; confessus, quæ consistoria dicunt  
Cum grauibus pietate viris tu sæpè frequentans  
Lites componis, distracta & pectora placas.  
Ex illo CVNO nobis est tempore CVNO.  
Hac fama impulsus qui nunc dat iura senatus  
Soli quællæ veteri, visit mox, Albidos oras

Vt quæ-



Vt quærat populo pastores (annus ab isto  
Alter ab undecimo nunc est dilapsus) ocellos  
Clauserat ut mors atra viro, pro coniuge cuius  
Hanc viduam iungis tibi tu doctissime CVNO  
Ut sis coniugij quoq; nunc successor, in altum  
Officium subuectus eras qui tempore dicto  
Symmachij. Quanto heu defunctus es inde labore?  
CVNO nam tu solus eras, cui credere templi  
Iura sui voluit prudentia mira virorum  
Quos Soltquella fouet fama super æthera notos.  
Quid sit? CVNO MEVS sequitur sua fata gregemq;  
Marchia quem tulerat Christo benè pascere cœpit  
Librorum (dedit hos Moses, Mosenq; secuti  
Vates) floribus, hinc reficit quoq; guttura sicca  
Riuus de cælo salientibus, inq; Davidis  
Alueolis pulchrè stagnantibus: ipseq; CVNO  
Hinc deriuatis his pectora tabida sanat.  
Purior ex ipsis ebullit fontibus vnda.  
Verior ex ipso manat sapientia Mose.  
O te felicem nimium bona si tua noris  
Soltquella, & verè tali doctore beatam.  
Est viduis, est pupillis, est tutor amicis,  
Omne sibi perüsse putans, impendit amicis  
Tempus quod non omne suis. Hem gratia rara.  
Ipsa virum extollit facundæ gratia lingue  
Mystica seu doceat cum magna arcana recludit,  
Iram siue acuat diuini numinis ipse,  
Visus hic in nostros immittere spicula sensus  
Intorta, & verè penetrantia pectora nostra.  
Dum narrat totus perijt velut orbis in vndis  
Horrissonis, Sodomæq; aperit flammantia rura  
Atq; minas Mosis profert & cornua dura  
Fumantes Sinai rupes populumq; trementem  
Grandiloquam ad vocem, stridentia murmura cæli,  
Fulmi-

Fulminibus frangens his saxea pectora pastor  
Abluat ut scelerum maculas peccator iniquus  
Et vitæ cursum studia ad meliora reflectat.  
Siue fidem Tharida tuam cum laude celebret.  
Et quantum oblectet spontanea victima Isaci  
Ostendatq; tuam quæ sit patientia Iacob  
Erga Rachelem quam sis in amore fidelis,  
Heroumæ canat multorum fortia facta  
Mosis, Samsonis, Iosua, Gideon, Salomonis,  
Davidis, Ionathæ: quæ nunc mora longa referre est,  
Morum sint specula hæc nobis ut viua piorum.  
Seu trepidis animis dicat solantia verba  
Verba animis vitam quæ inspirant æthere dignam,  
Dum monstrat CHRISTVM digitis in stipite fixum  
Huncq; agnum affirmat mactatum ab origine mundi  
Sanguineum rorem fundentem flumine largo  
Impuris mea pectora sordibus exq; piantem  
Vulneribusq; suis me suauiter inuoluentem  
Qui sitio CHRISTVM Dominum sitiendo SALVTEM.  
Nam claves habet ille David & operta recludit  
Cælorum tecta, à culpa nos vindicat omni.  
Felices digitos hos terq; quaterq; IOHANNIS  
Monstrantes fontem vitæ nobisq; sibiq;  
Felices oculos qui Christum in stipite docti  
Cernere sunt solum, sancto monstrante IOHANNE.  
Multa viri virtus hæc pectora multa beavit  
Magna viri virtus hæc pectora plura beabit.  
Siue cucullatos monachos & vertice raso  
Fratres percellens iusto de crimine damnet  
Et vero innixus celsa virtute refutet  
Dum prohibet fisis ne quis virtute suorum  
Factorum celsos tentet conscendere cælos:  
Sed quia sola fides saluat nos, fidere CHRISTO  
Nos iubet atq; fidem factis ostendere iustis.

Vos

Vos quibus est animas saluandas pascere cura  
 Officij partes fuerint quæ discite vestri,  
 Intuiti exemplum viuum & pia gesta CVNONIS.  
 Proh pudor est quantus, quanta hæc inscitia veri,  
 Si benè quis doceat, pergat sed viuere prauè,  
 Iosephum simulet cum Sodomitica viuat.  
 Qui nouit seruus, sint quæ mandata Tonantis  
 Nec tamen exequitur, miser hic bis vapulat, ater  
 Languida membra trahens percussa et verberè diro.  
 Ab quàm dulce melos cantabas optime præsul  
 Nobis cum ferres epulas, quas condidit almo  
 Flamine compulsus Paulus Galatas vbi stultè  
 Seductos reuocat sudans ad pristina tempe:  
 In quibus hi flores exurgunt: GRATIA CHRISTI  
 Sancta FIDES: PAX multa pijs: DILECTIO suauis.  
 Castus AMOR VERI: quæ virtus retrahit iræ  
 Frena inflammata, cupiens MANSVESCERE corda.  
 Et quæ nympa venit nobis cum fronte BENIGNA.  
 Et BONITAS: quæ casta cibi potusq; gubernans  
 Usus lege Dei, mentem quoq; TEMPERAT ipsam,  
 EUPHROSINEq; meæ quæ portas gaudia menti  
 Mille meæ, dicens quod ego sim surculus ipsi  
 Insitus è cælo viti propagine longa  
 Sese extendenti, succo quoq; corda beanti  
 Viuifico, & danti robur tam nobile menti  
 Pro Christo vt cupiam rabidorum ante ora leonum  
 Projicer trepidemq; nihil cum surgere cerno  
 Ante oculos nigro crepitantia fulmine ligna  
 Ligna mihi accendunt quæ emota mente Tyranni  
 Expertes prorsus Christi: proh turpia monstra  
 Tuq; eadem EUPHROSINE liuorem pectore pellis  
 Sponsorum vt letus letorum accumbere mensis  
 Gestiam & hos donare meo quoq; carmine tali  
 Quo vos inuitem charitas, conuiuia cuncta

B

Quis



Quis sine sunt nobis prorsus centaurica. Quaso  
Huc ut adesse velis turba inclyta, nata IEHOVA  
Ex Paradysiatis nostris quoq; nectere sponsis  
Floribus, auricomas quæ cingantserta capillos,  
Vos sacra conuiuis quoq; dicite carmina nostris,  
Coniugij fontem, fructus & nobile nomen  
Quod pater OMNIPOTENS Heuam sociarit Adamo  
Coniugiumq; velit generis sit ianua nostri,  
Et quod coniugium mysteria magna figuret  
De grege, quem gignit pia sponsa Ecclesia Christo.  
Dicite quod fausto fiant connubia fato,  
Quod viduo pigeat sponsam post viuere lecto,  
Atq; marita ruat tua nunc in brachia CVNO,  
Multis illa petita alijs dum transigit annos  
Hæc bis sex annos postquam sua lumina clausit  
Symmachius, cuius virtutem secula nulla  
Sunt clausura: Manet post funera viuida virtus.  
Dic Christina tuis pudibundis moribus, istis  
Conuiuis, spretis alijs cur coniuge docto  
Leteris postquam veteris vestigia flammæ  
Sensisti & rapidis flammis iterum vreris, anne  
Hoc graue erat dominam trudi sub vincula serui?  
Anne peregrinos indocti discere mores?  
Hei mihi si hoc non est pondus, sunt pondera nulla.  
Flaccescunt tua nunc regina pecunia sceptræ.  
Nam solium ad Veneris fuluum nil proficit aurum,  
Sed VIRTUS multum, multumq; SCIENTIA regnat,  
Fataq; sic tribuunt merita sua præmia laudi.  
Dic age sopitum quisnam ille resuscitat ignem?  
Tardus amor magno veniat vis scænore nostro  
CVNONI? CVNO potuit te accendere amore?  
Ergo precor CVNO tibi viuat tuq; CVNONI,  
Tertius ascendat nec molle cubile maritus  
Sponsa tuum, satiet CVNO tua pectora amore.

Tertia

*Tertia nulla tibi sit coniunx tandide CVNO.  
Sic tua te coniunx amet, vt pia Sara maritum,  
Isacum accendit flagrans vt flamma Rebeccæ,  
Dilige tuq; illam, procus vt Rachaelis Iacob  
Exardens costam, finem nesciuit amoris  
David vt Abigail, tuq; vt Ioachime Susannam,  
Vtq; alet vna duos vos candida pectora mensa,  
Sic precor in vobis quoq; sit mens vna duobus.  
Quæ prius admirata fuit Sidonia Dido  
Magnanimum Ænean, hunc in sua regna recepit  
Atq; Dea genitum confessa est: cautibus illum,  
Progenitum clamat deinceps, & Tigride saua  
Non decet illa tuam sponsa inconstantia mentem  
Venisti quoniam nunc læti ad limina sponsi  
Sponsa tuæ rhedæ facilis combusseris axem  
Speq; noui sponsi tua mens non fluctuet vnquam  
Magna ex parte domi sis sedula, rara foris sis.  
Quæ cultum studijs vult fastidire maritum  
Digna rudi Nabal fuit hæc, aut rustica Mopso:  
Huic opus helleboro fuerit, nasturtia pectus  
Huic purgent, hanc Diij nobis auertite pestem.  
Sponsa Deo grates age lætas, lumine claro  
Sponsum amplexare, & venienti porrige dextram,  
Concipias & læta faces, atq; vrere flammis  
Legitimis, probat hæc Deus, probat ipseq; sponsus.  
Vir bonus est sponsus, vir est doctissimus idem,  
Est meritis grauis, eximia est virtute verendus,  
Thesauris mentis grauidus, templiq; columna  
Aurata est, summi dignissimus incola cæli.  
Qui quanto expolijt nobis hæc templa labore  
Externa, is maiore sibi sint aurea templa  
Nunc sudore parat, quæ vult habitacula CHRISTI  
Esse, & viuerter diuini numinis aulas.  
Est aliter si quis, qui sentit, liuida lingua*

Cuius pastores perstringit, corde venenum  
In magnos virtute viros quiq; expuit atrum:  
Tam vacuo cerebro multum rudentis aselli  
Anticyris opus est tribus, euomat vt sale nigro  
Impietatis onus, multos quod trudit ad Orcum,  
Prouocat et sæuos vrsos, qui sumere pœnas  
De pueris iussi diuinitus, olim vbi Elisæ  
Tam sacrosanctum caput & venerabile nomen  
Istis lusus erat curuo suspendere naso.

**T**E miserū, similes nam tu dabis improbe pœnas  
Non quas Sedicius grauis inuenit aut Rhada-  
Sed quas ira Dei iustissima naribus efflat. (mantus  
Malleus ira Dei est contundens saxea corda  
Malleus est falsæ disperdens spicula linguæ  
Linguæ mendacis qua nulla nocentior aspis.  
Aut oculos fodient corui torrentis ad oras  
Prædaue carnioris tu fies piscibus atra  
Quicunq; in Christi seruos conuicia iactas  
Ebrius, & volupe est cui effundere verba proterua.  
Irrides? Haud me fallis: sacra numina nobis  
Impunè haud possunt rideri: Christus Iesus  
Imputat omne sibi id de quo luxere ministri.  
Legantem lædit missos qui lædit ab illo.  
Qui benè non didicit, malè vult hic dicere semper  
Insipiens, vecorde suo dum corde sagittam  
In duros mittit muros, hæc inde resultans  
Mittentis quatit & prosternit liuida membra.  
Vidi ego quòd misit sæuo cum murmure acuta  
Parua apis in nostros artus sua spicula, vidi  
Bestiolam gladio orbatam, tabescere iuermem.  
Hæc te fata manent, ni cesses crimine ab isto.  
Spina horrens tribulusq; asper mihi balnea sunt  
Heu potius, quam Dens tuus atq; calumnia rodat  
corda


Corda mihi, telis petit hæc namq; intima cordis,  
 Et frangit robur mentis, prudentia nulla  
 Nulla satis contra hoc virus prudentia tuta est.  
 Sed quoq; pro tali bona pergit fundere vota  
 Hic sponsus noster CVNO pia facta secutus  
 Christe tua, ignoscis qui te te in stipite figunt  
 Carnifices ipsum, teq; ad crudelia raptant  
 Funera, sarcasms moribundi cordaq; pulsant.  
 Cunones optem plures & mille Cunonum  
 Millia, qui patriam facunda voce gubernent  
 Exemplisq; suis viuis pia dogmata firment.  
 Vos quibus est pietas cordi, et sacra dogmata sponsi,  
 Vos quibus est CVNO rectissima regula morum,  
 Vos quibus his libuit sponsorum accumbere Mensis,  
 Cum voto votum vestrum coniungite nostro:  
 Christe tuis famulis, oramus, funde falernum  
 Quale tuis manibus porrectum Cana bibebat,  
 Et mirata Deum te summa laude ferebat.  
 Leticiam utq; creant sorbenti fortia vina  
 Sic coniunx vitis fuerit fœcunda marito.  
 Ut soboles longo mensam patris agmine cingat.  
 Utq; polum illustrat sol aureus, aurea Phœbe  
 Atq; hos stellarum scintillans luce caterua  
 Concomitata mouet spectanti gaudia mille  
 Dum te Phœbe ducem agnoscunt & ritè sequuntur:  
 Obsequium præstet sic si noua nupta marito  
 Atq; his ambobus soboles accommodet aures  
 Ut mandata Dei seruet, præstetq; parentum:  
 Testantur cælo dignos se viuere ciues.  
 Tu niueumq; chorum demittas æthere ab alto  
 Christe fores vigilans hic ut excubet ante iugales,  
 Asmodumq; procul vibranti pellat ut ense,  
 Qui struit insidias tam casto fœdere iunctis.

**A** Pri dent alij massam , dedit ista Gerardus  
Vota tibi sponso , Christus quibus annuat, orat.  
Annuit his Christus iam pridem & vota secundat.  
Vera fides mundum sternit , petit astra , Deumq;  
Expugnat , donetq; pijs sua munera cogit ,  
Munera caelesti tantummodo numine digna.

F I N I S.









1534 04

AB 153404


ULB Halle 3  
002 671 190



SR







10

EPI THALAMION.

IN QVO POST FAC-  
TAM GRATVLATIO-  
NEM VTRIQVE SPONSORVM  
REVERENDISSIMO, VIRTUTE, FIDE,  
candore, & doctrina præstantissimo Viro D. M. LO-  
HANNI CVNONI dioceseos Soltuedelensis Pastori  
& Superintendenti dignissimo: & lectissimæ fœminæ  
CHRISTINAE HARTMANNÆ † inuitat Autor ad  
nuptias horum Deas illas, quas D. PAVLVS FRV-  
CTVS FIDEI nominat, sine quibus non solum con-  
uiuia, sed tota omnino vita nostra nil est nisi bar-  
baries, & Lapitharum congressus  
atq; conuictus Centau-  
rorum.

Autore

M. GERARDO ASSENBVRGO  
*Scholæ Gardelegiensis Rectore.*

*Theocritus Idyllio 22.*

ὡς ἀγαθῶς πολέες βούλοιντο κε πενθεροὶ εἶναι.

Magdeburgi excudebat Andreas Gehen,  
Mense Augusto,

Anno M. D. LXXIII.

